

ribus in Emmaus aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas, quas aliter profecto non intellexerant? Cur Regius Vates orabat: *Revela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua? Psal. 118.*

Perperam etiam illud *Joan. 1. cap. 2.* nobis obtrudunt: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium; & sicut docuit vos; manete in eo.*

Hæc enim Joannis Apostoli verba ad singulos Christianos non diriguntur, sed ad Parthorum Ecclesiam, ad quam scribit, quæ Sacerdotibus & Fidelibus, a Spiritu S. perfecte instructis & illuminatis magna ex parte constabat, de iis agit, quos jam ipse superius probe docuerat. *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, . . . quod audistis ab initio in vobis permaneat.*

Non abimile argumentum efformant Divina Traditionis impugnatores ex eo, quod legitur *Matth. 15. & ad Coloss. 2.* Mattheus ergo hæc habet: *Invitum scilicet mandatum Dei propter Traditionem vestram: & ad Coloss. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum Traditionem hominum.* Ex quibus colligunt, Christum & Apostolum, Traditiones tanquam hominum commenta repudiasse.

Quibus facile reponimus, oraculum illud Matthei de Traditionibus pharisaicis, non propheticis, seu Divinis intelligendum. Unde non est, cur Traditiones tanquam hominum commenta Christo & Apostolo repudiatas, rejiciant.

Eadem plane via solum habent momentum alterum ad Apostolum *ad Coloss.* petiit, quo perinde illud in incutiit. Nominem enim Traditionis hominum, intellexit Apostolus placita philosophia secularis & Ethnica, quæ ab hæreticis primi sæculi Christianæ Religionis admiscebantur, vel certe Pharisaicæ Traditiones, ut exponit D. Hieronymus *Epist. ad Algastam 151.*

Alia superflua longe graviora momenta eligenda, quibus Divinarum Traditionum auctoritatem Adversarii impetere solent. De his tamen in sequenti dicendum.

PRÆLECTIO IX.

Momenta petita ex periculis & incommodis, si Traditio ut Fidei regula ponatur.

Lutheranis & Calvinianis haud satis visum fuit, Divinas Traditiones, momentis ex Scriptura Sacra petitis oppugnare, quibus hæterea luce pro nostra virili satisfecimus; in id suum omnino studium convertunt Dalleus & Rivettus Calvinianæ sectæ Ministri, ut ingenia Fidei, ac Religionis pericula & incommoda ortura demonstrent; si hujusmodi Traditiones, uti Fidei Catholice Regule constituantur. In ea igitur incommoda inquirere officii nostri est; videndumque; an non ipsi potius, qui Divinas Traditiones eliminatas volunt, gravioribus incommodis implicentur.

Gravissimum igitur periculum imminere ex Divinis Traditionibus arbitrantur; ne scilicet eorum prætextu, Ecclesie Fides violatur potius, quam adstruatur. Cum enim, inquit illi, Traditiones scripto consignatae non sint, sed voce tantum expressa ac denunciata, facillimum cuique est, Traditiones pro arbitrio comminisci; quarum præfatio & auctoritate errores, quoscumque libuerit, defendat, atque propugnet. Quod plus nimis experimento comprobatum fuisse ajunt

non solum in nefariis hominibus, sed etiam in SS. Viris, & Ecclesie Patribus.

Et quidem prætextu hujusmodi Traditionum, Papias, Justinus, Iræneus, Tertullianus, Lactantius Doctrinam de Millenario Christi Regno propugnavit: tanquam a D. Joanne, ceterisque Apostolis per Traditionem acceptam.

Chrysothomus, Ambrosius, Theodoritus, Hieronymus, Bernardus de dilatione beatitudinis usque ad extremum mundi finem prætextu Traditionis disputarunt.

Traditio dedit Añæ Episcopis fundamentum, uti a S. Joanne illarum Ecclesiarum fundatore habitum, ut Pascha 14. Luna celebrandum graviter sustinerent.

Hujus prætextu Africa Episcopi, duce Cypriano, & Firmiliano, hæreticorum Baptismati objecerunt; qui & suarum etiam Ecclesiarum Traditionem, Ecclesie Romanæ Traditioni opposuerunt.

Perperam tamen & inconsulte pericula fingunt Calviniani, ubi nulla re ipsa sunt: quia quid Traditio illa sit pro cuius defensione pugnamus, aut non intelligunt, aut intelligere nolunt. Non est hic nobis sermo de Traditione, quæcumque ea sit, sed de illa, quæ uti talis ab Ecclesia proponatur.

Quare si errant Patres laudati in internosceda Traditione de Millenario Christi Regno, & de dilatione Beatitudinis, quam perperam a D. Joanne Apostolo profectam existimant; mirum profecto non est, cum etiam errarint in internosceda Scriptura, de qua non est hic controversia.

Quod Asiaticos attinet, Pascha Luna 14. celebrantes, & Afros, hæreticos rebaptizantes, præterquamquod dici possent, priorem questionem Discipline potius fuisse, quam dogmatis; peculiare illarum Ecclesiarum Traditiones fuisse, non generales Ecclesie Catholice Traditiones ab Apostolis vere profectæ, quales Fidei regule dicuntur esse.

Contra urgent Calviniani: si, ut vera legitimaque Traditio censetur, quæ fidei regula possit esse, necesse est, ut omnium sæculorum Patres tanquam locupletissimi testes, illius nobis fidem faciant; attestantes scilicet eam ætate sua fuisse Ecclesie professionem atque sententiam; nusquam certo scire poterimus, quamnam vera sit & indubitata Traditio. Quandoquidem Patres ipsi in vera Traditione internosceda falli possunt: privatasque quandoque opiniones, aut etiam spissos errores, uti Traditiones, a Majoribus derivatos, ad nos usque transmittant.

Argute sane, atque subtiliter disputatum; sed nihil ad institutum. Nos enim non sustinemus, ad dignoscendas veras Traditiones esse necessarium inquirere, quod Patres per omnia sæcula docuerint; sed posse aliquos tantum ac numero paucos; non posse omnes, ac etiam numero plures. Quia Deus corpori Ecclesie, non privatis indeficientiam suam adpromisit.

Instant præterea Calvinistæ: Nequidem Patres omnes, ac ne ipsa etiam Ecclesia potest hodie veras, germanasque Traditiones a falsis fecerere, ad hoc enim necessum est internoscedere, quid quovis retro sæculo a fidelibus creditum sit. In eo porro dignoscendo falli patet, quia factum est.

Sed nihil inde contra nos extrudere possunt. Aliud est enim factum simplex, aliud est factum dogmaticum. Nos porro non negamus Ecclesiam, & Patres in factis simplicibus errare posse, in factis tantum dogmaticis Ecclesiam & Patres falli neficis sustinemus. Sique fortasse occurrat Ecclesiam

siam quandoque fallere in judicando facto dogmatico; id solum occurrit, quando iudicium de dogmate non pendet necessario ex iudicio de facto, unumque ex altero necessario non sequitur. At ubi iudicium de dogmate ex iudicio de facto necessario pendet, & ex illo necessario sequitur; Ecclesia que in judicando dogmate infallibilis est, in eo etiam facto judicando infallibilis debet esse.

Non patere igitur Traditiones iis periculis & incommodis, quæ contra opponantur, sat bene demonstravimus. Restat nunc, ut, non esse illas ab Ecclesia rejectas, quod ultimus est Calvinistarum impetus, breviter ostendamus. Agendum rem agamus. Ecclesia, inquit illi, Traditiones sacrosantas ab ipsis Apostolis derivatas, rejectis, ac repudiavit sæpenuero. Rejectis Trinam immersionem in baptisate; Lactis ac Mellis degustationem: Communionem sub utraque specie; Communionem Eucharisticam pueris dari solitam tanquam illis ad salutem necessariam; Publicam graviorum criminum poenam; Disputationes ab observantiis ex Divina Traditione manantibus. Non eas ergo, uti fidei Regulam habuit Ecclesia; cum regula fidei una omnino sit, sola, immobilis, irreformabilis.

Non erit tamen omnibus hisce difficile respondere; si videlicet observemus, alias esse Traditiones, quæ ad disciplinam, caeremonias, externamque politiam Ecclesiasticam pertinent: alias esse Traditiones, quæ ad fidem, & morales Christianæ regule spectant. Has igitur Traditiones nullo unquam tempore rejectis Ecclesia, nec rejicere potuit. Illas vero & rejicere potest, & de facto rejectis. Has porro duas Traditiones enuntiat, & pene ad evidentiam ostendit Tertullianus *lib. de velandis Virginibus. Regula quidem fidei una omnino est, sola, immobilis, & irreformabilis. . . . Hac lege fidei manente, cetera jam discipline, & conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet, & proficiente usque in finem Gratia Dei.*

Qua posita distinctione, ad solutionis vinculum dico, eas omnes consuetudines ab Adversariis alatas spectare vel ad caeremoniam, uti lactis & mellis degustationem, & trinam immersionem: vel ad disciplinam, externamque Ecclesie politiam, uti publicam poenitentiam, & communionem sub utraque specie. Quinimo dico, plures ex his Apostolicas Traditiones dicendas non esse, sed mores Ecclesie, qui ab legitimis causis mutati fuerunt, neque ab omnibus ubique, iis etiam, quibus vigeant temporibus, fuerunt observati.

Patet hoc primo in trina immersione, quæ ita observata fuit, ut laudaretur etiam unica immersio: ait namque S. Gregorius Magnus *lib. 1. registri epistola 47.* ad Leandrum Episcopum Hispanensem; *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptisate in aqua vel ter, vel semel immergere, quando & in tribus immersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari.* Imo, quibus hæreticos Trinitatem dividentes, iis, quibus scribit, unam potius immersionem suadet: *sed quia, inquit, nunc usque ab hæreticis infans in baptisate terio mergatur, standum apud; vos esse non censio: ne, dum meriones numerant, Divinitatem dividant.* Hoc etiam fuit, propter quod Concilium Tolentanum IV. decrevit *Capitulo 6.* ut unica deinceps immersio fieret. Nec verisimile est, trinam semper Apostolos immersionem adhibuisse, cum tot hominum millia una die baptizati in actibus Apostolicis perlegantur, Quapropter S. Cyprianus, baptisma Clinicis, seu infirmis in lecto decumbentibus, per aspersionem collatum,

legitimum esse probavit *Epistola 76. ad Magnam data.*

Secundo liquet ex Communionem sub utraque specie, quæ licet per duodecim priora sæcula ubique passim fuerit observata, tamen quatuor ab hinc sæculis in Occidente desit. Qui enim Eucharistiam in domos deferabant, pro necessitate, & pietate sumpturi, Calicem non fumebant, qui porrigentibus Diaconis sumi duntaxat solebat. In Serapione habemus exemplum, qui agrotus a puero particulam tantum Eucharistie aqua madafactam accepit, cui illam Sacerdos deferendam tradiderat, ut narrat S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *lib. 6. hist. cap. 44.* Clarior etiam habemus in Manichæis; qui, ut suam tegetem iniquitatem, nostris audebant interesse Mysteris, & ita in Sacramentorum communionem se temperabant, ut interdum, ne penitus latere non possent, indigno ore Christi Corpus acciperent, Sanguinem autem Redemptionis nostræ haurire omnino detrectarent: ut testatur S. Leo *Serm. 4. de quadragesima.* Quomodo igitur latere potuissent Manichæi, nisi Eucharistiam sumere fuit unica, vel sub utraque specie, fidelibus tunc temporis liberum fuisset?

Confirmat hoc idem multo magis historia, quam de Macedoniana muliere Sozomeus apud Eusebium refert *lib. 8. cap. 5.* quæ nimirum marito minis coacta, ut Divinis Mysteris communicaret, id quod acceperat, continens, velut oratura procumbit: *famula interim astans, furim porrigit id quod manibus adveniens ferebat; quod quidem simul atque dentibus admatum esset, in lapidem induruit.* Fallere autem, equis non videt, fide famulæ ministerio maritum minime potuisset, si tunc necessario Fideles Eucharistiam sub utraque specie accepissent.

Quod vero ad publicam poenitentiam pertinet, fateor hanc descendisse ex Apostolica traditione, ut graviorum criminum rei publicam poenitentiam agerent. Cum tamen ad externam Ecclesie disciplinam & politiam lugubris ille poenitentiae apparatus & solemnitas pertineret, nil mirum, si pia mater Ecclesia, fidelibus suis minus ferventibus mederi voluerit, cupiens tamen, ut disciplina illa sanctissima, si fieri possit, restauraretur, & graviora crimina, si publica sint, publicis etiam poenis, ubi disciplina vigeat, coercerentur.

Quod spectat ad eas dispensationes ab iis Observantiis, quæ ex Apostolica Traditione manaverunt, idem dicendum existimo, quod de dispensationibus in iis, quæ sunt juris naturalis & Divini. Nempe non sunt relaxationes ab ipso jure, quod est inviolabile, sed interpretationes juris in casu privato: hoc est declarant Pontifices jus Divinum non obligare certis in casibus; nec fuisse intentionem legislatoris in casu illo privato quemquam adstringere. Ita certe Pontifices non concessere, nec concedunt dispensationes generales de iis Observantiis, quæ ex Traditione Apostolica ortum habuerunt; sed declarant duntaxat, certis in casibus privatos quosdam ad eas observantias non obligari; cum mens Apostolorum non fuerit, ut obligaretur, cum illas servare non possent; vel cum earundem omnino in majus Ecclesie bonum cederet; cum denique illorum præceptorum observatio adversaretur Charitati.

Notandum tamen, ad majorem hujusce controversie elucidationem, Romanos Pontifices non solum iis de statutis ac moribus, qui ab Apostolis creduntur instituti, dispensare nullatenus posse, nisi conditionibus mox expostis, sed nec de consuetudinibus antiquis legitimis, & probatis Ec-

Ecclesiarum, & Monasteriorum: Si quis enim aliter in Ecclesia dispensationes facit, rationi simul & veritati contradicit, nec solum Lucernam lucentem non habet; verum etiam aliorum ardentis extinguit. Hæc sane fuerit regulæ, quas Patres Tridentini Concilii ob oculos habuere sess. 24. cap. 5. de Matrimonii Reformatione, dum in contrahendis matrimoniis, vel nullam omnino dari dispensationem, vel raro, idque ex causa, & gratis concedi; in secundo vero gradu nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam, nequaquam permitti definierunt.

Hinc etiam de dispensationibus doctrinam confirmant Joannes Gerson Parisiensis Ecclesiæ Cancellarius in *Tractatu de potestate Ecclesiastica considerat. 10. Regula 4.* Durandus Mimatensis in *Opusculo*, quod iussu Clementis V. edidit, *De modo generalis Concilii celebrandi tit. 4.*

Ab Ecclesiæ iudicio ad Ecclesiæ Patres gressum faciunt Calviniani: quos Divinarum Traditionum auctoritatem rejecisse comminiscuntur. Quo in ordine D. Hieronymum in medium afferunt lib. 4. comment. in *Matth. cap. 24.* ita dicentem. *Hoc, quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Ex quo Hieronymum non aliunde, quam ex Scripturis peti posse pro fide, aut moribus argumenta, censuisse desumunt.

Hoc idem sensisse ajunt Augustinum lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 26. ubi sic loquitur: *Ubi enim de re obscurissima disputatur, non adjurantibus Divinarum Scripturarum certis, clarisque documentis, cobidere se debet humana presumpcio, nihil alicui in partem alteram declinando.*

In vanum tamen ad oppugnandam Divinarum Traditionum auctoritatem primum illud D. Hieronymi testimonium obrudunt: Eo enim in loco SS. Doctor non intellexit elidere Divinarum Traditionum auctoritatem, quasi quod ex Scripturis tantum, non ex Traditionibus Fidei argumenta peti possint; sed libri ejusdam apocryphiam, ex quo contendebant nonnulli, Zachariam, quem Judæi inter Templum & Altare occiderunt, fuisse Zachariam patrem Joannis Baptistæ.

Neque magis nos anxios & sollicitos habet, quod ex altero Augustini testimonio animosius perunt Traditionum impugnatores: eo enim in loco SS. Doctor loquitur de questionibus, quæ neque in Scriptura, neque in Traditione, quæ in Scripturis fundatur, aperta habent testimonia. Agebat enim eo loci Augustinus, de questione saluberrima originis Animarum, quæ ut ipse putabat nec Scripturarum oraculis; nec traditionibus poterat eliquari.

Cæterum tantum abest, ut Divinæ Traditionis auctoritatem elidere objecto in loco voluerit Augustinus, ut lib. de *Baptismo cap. 23.* expresse probaverit, datum ab hæreticis baptismum valere; non ex Scriptura, cum nullam de eo baptismate mentionem faciat, sed ex Traditione: *Consuetudo illa, inquit, quæ opponitur Cypriano, ab eorum, (nimirum Apostolorum) Traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Quo certe nil clarius, atque disertius in Divinæ Traditionis defensionem audiri potest.

In eandem pari fidentia scenam inducunt arguti disputatores D. Cyprianum, ut qui perinde Apostolicas Traditiones rejecerit. Cyprianus, inquit, pugnant contra Stephanum I. pro nullitate baptismatis ab hæreticis recepti, minime ad Traditionem attendit, quam ipsi Pontifex Sum-

mus tunc temporis objecit, ita ad eum rescribens: *Nihil innovetur præter id, quod traditum est.* Cognovit ergo, ex Traditione, nulla certa argumenta ad probandam fidem, morumque regulam stabilendam desumi posse.

At non advertunt imprudentes, Cyprianum eo loci, non credidisse Traditionem ei a Pontifice oppositam fluxisse ab Apostolis; propter quod illam vetustum errorem appellavit, asseruitque contrariam esse Scripturis; ut ex ea liquet, quam ad Pompejum scripsit, Epistola; Unde, inquit, est ista traditio? *Utrum ne de Dominica, & Evangelica auctoritate descendens, an de Apostolorum mandatis, atque epistolis veniens? Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, restat Deus &c.* Cum hic igitur Apostolicæ Traditionis sermo sit, nihil contra nos ex allato D. Cypriani testimonio adverse sententiæ viadices extendere posse, nemo non videt.

Fateantur itaque, velint nolint, miseri recuti, ex Apostolicis Traditionibus certa & ad fidem probandam, & ad morum regulas stabilendas, argumenta peti posse: alias figmenta sua jam pridem edita novis, iisque turpioribus cumulabant erroribus.

PRÆLECTIO X.

Ecclesiam certam fidei regulam esse, & errare in fide minime posse, asseritur, & propugnatur contra Lutheranos, & Calvinistas.

Minus profecto Fidei tutelæ, ac defensionis provifum esset, si solis inanimatis, ac mortuis regulis; Scriptura nimirum & Traditione, niteretur. Cum enim aut hominum perversitate, aut ignorantia regulæ illæ mortuæ in peregrinos sensus flecti possint, aut penitus obcurari: (quod fatali experimento omni retro ætate in Hæreticis comprobatum est, necesse omnino fuit, regulas insuper aliquas viventes, ac spirantes a Deo dari, quæ omnem de fide controversiam dirimerent, supremoque iudicio definirent. Sunt illæ porro numero tres, Ecclesia nimirum toto Orbe diffusa, Concilium Œcumenicum, Romanus Pontifex, de quibus nobis est fufè admodum disputandum.

Ut ergo de Ecclesiæ dicam loco primo, illud ante omnia monere juvat, questionem hic nullam esse de Ecclesiæ generatim accepta, quæ verorum cultorum societas est, varioque status, non fin hac tantum, verum etiam in altera vita sortitur; sed de hac speciatim Ecclesiæ, quæ modo in terris militat, & ad cælestem felicitatem aspirat; quæ definiri a Theologis solet: *Societas visibilis fidelium baptizatorum sub uno capite Christo in Cælis, & Vicario ejus in terris, inter se eodem cultu communicantium.* De qua quidem Ecclesiæ, illud primum cum Lutheranis & Calvinianis controversitur, *fit ne illa certa fidei nostre regulæ seu quod in idem redit: num possit Ecclesiæ universa errare in fide, atque deficere.* Si enim errare in fide omnino non potest, nemo non videt, certam fidei regulam illam esse, atque hoc est, quod contra Lutheranos & Calvinianos omni momentorum genere probandum aggredior in præsentia: quo vel uno firmiter asserto, atque probato, corruiat necesse est non Lutheranus tantum, & Calvinianus error, sed & quisquis unquam Ecclesiæ iudicio profcriptus est.

Primum itaque probationis momentum desumam ex data Ecclesiæ a Christo Domino firmitate, indeficientia & immobilitate. *Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ec-*

clesiam meam, & porte inferi non prevalebunt adversus eam.

In eo etiam Sacrorum Oraculorum genere limpidissimum, disertissimumque illud mihi semper est visum, quod legitur ad *Timotheum cap. 3.* *Ecclesiæ Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.*

Ad hoc reponunt Sectarii: in tantum Ecclesiæ dici Firmamentum & columnam veritatis, in quantum est custos verbi divini, quod errare minime potest.

Quam parum id evincat ac prober, apertissime constat in Synagoga. Etiam Synagoga custos est Verbi Divini, nec tamen dicitur Firmamentum, & columna veritatis. Quod nec ipsi volunt accerimi Ecclesiæ impugnatores.

Alia longe gravior suppetit ratio a sacris Litteris delibata, quæ Firmatis, indeficientia, & immobilitas Ecclesiæ demonstratur.

Si Ecclesiæ errare in fide, certe defineret esse Ecclesiæ, cum hæc Dei vivi Firmamentum & columna veritatis, dicatur. Hoc porro dici minime potest, cum Deus Ecclesiæ sexcentis in locis adpromiserit perennitatem.

Isaie enim 61. habetur: *Fœdus perpetuum feriam. Et scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum.*

Psal. 88. *Ponam in seculum faculi semen ejus: & Thronum ejus sicut dies Cæli.*

Ad *Ephes. 4.* Ipse quosdam apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in edificationem corporis Christi: donec occurrerimus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Hoc ipsum confirmant alia Scripturarum exempla, ex quibus liquet, Ecclesiæ usque ad consummationem sæculi ex infallibili Christi, & Spiritus S. directione regi, & gubernari.

Joan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a semetipso, sed quicunque audiet, loquetur.*

Ad *Ephes. 1.* *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Aliaque id genus pene sexcenta.

Accedit etiam in hujusce catholica veritatis confirmationem veterum Ecclesiæ Patrum auctoritas.

Tertullianus lib. de *Prescript. Hæreticorum* pro summo absurdo ponit sibi fingere. *Age nunc, inquit, Omnes (Ecclesiæ) erraverunt; deceptus sit & Apostolus de testimonio reddendo quibusdam; nullam respexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret.*

S. Cyprianus lib. de *unitate Ecclesiæ: Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est, & pudica.*

S. Joannes Chryostomus *Homil. 4. in Isaïam: Facilius est Solem extinguere, quam Ecclesiam obsecrari.*

Claudius tandem Patrum agmen Augustinus *Epist. 54. Disputare (contra id quod universa sentit Ecclesiæ) insolentissime demencia est.*

Ex quibus quotquot meridiana in luce non omnino cacutiunt, certissime colligunt, Ecclesiam errare in fide minime posse, fideique nostræ regulam certissimam esse.

Verum quia non desunt, qui hanc Patrum sententiam, tametsi Scripturarum auctoritate, & rationum pondere communitam, cavillari ambiant potius, quam reverenter excipere; idcirco instituti ordinis officium postulat, ut eorum cavillos retrundamus

Serry Tom. IV.

Quod ut expediam, monere vos operæ pretium existimo: dum Ecclesiam errare in fide non posse monstravimus, præsentem duxit Ecclesiam, novi scilicet Testamenti, intelleximus, societatem nempe visibilem fidelium baptizatorum sub uno capite Christo, eodem inter se cultu communicantium. At Lutherani, & Calviniani contra nos disputantes, dum errare in fide Ecclesiam posse ostendere moluntur; Ecclesiam Veteris Testamenti in scenam inducunt, quam sæpius errasse contendunt. Quo certe disputandi modo questionis statum invertunt. Nihil tamen minus, ut causam nostram meliorem faciamus, illorum etiam objectis, tametsi ab instituta questione aberrantibus, minutatim satisficiemus.

Primum itaque Ecclesiæ errantis in fide exemplum ducunt a totius populi Judaici, ab Ægyptiaca servitute liberati: dum Aaron summus Pontifex vitulum aureum adorandum populo exhibuit: totusque populus clamavit *Exodi 32. Hi sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

Cui tamen depellendæ calumniæ satis sit observare: Primum: totum tunc temporis populum non errasse, & in Idololatriam prolapsum fuisse. Secundo: Aaronem necdum tunc Pontificem existisse. Tertio: Nec Moysem, qui vere tunc populi caput erat, hujus Idololatriæ participem nequaquam fuisse; nec totam Tribum Levi; clamant enim Moyse; *Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregati sunt ad eum omnes filii Levi, tanquam veri Dei cultores.* Quarto tandem a filiis Levi ad ultionem sceleris occisa fuisse viginti tria millia virorum.

Paris utilitatis est, quod adjicitur: Ecclesiam totam, seu, integram Fidelium societatem a veri Dei cultu defecisse tempore Eliæ, & in Baalis cultum declinasse, propterea quod 3. *Reg. 19.* Ipse Deo diceret: *dereliquerunt pactum tuum filiis Israel: Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus.*

Hoc non est solum difficile, si videlicet observetur, id ab Eliâ dictum fuisse occasione persecutionis Jezabel, quæ non extra Regnum Israel exarsit; neque id de toto Israelis Regno dictum fuisse, sed de illius parte tantum; nec defecisse cultu Regnum Juda: quinimo non omiserim observare, de ipso quoque Regno Israel dixisse Deum ad Eliam: *Derelinquam mihi in Israel septem milia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Quibus omnibus addiderim ego, Eliam solum Prophetam, non solum cultorem Dei reliquum fuisse.

Idem ferme statuere liceat de temporibus Isaïæ, cujus sunt graves illæ increpationes *cap. 1.* *Filios entrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Ve ingenti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Dereliquerunt Dominum: blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Sunt enim increpationes illæ ad magnam Synagogæ partem directæ, non ad omnem Synagogam, in qua temporibus illis multos extitisse liquet, non modo fideles, sed & Sanctissimos Viros: uti Augustinus observat *lib. de unitate Ecclesiæ cap. 10.**

Non ita fortasse facile fuerit palam ostendere, quo pacto non defecerit Ecclesiæ fides, tempore Christi Domini patientis. Sive enim Ecclesiam

P p in

in Synagoga illius temporis constituamus, five in Christi Discipulis, utrobique per infidelitatem Ecclesia lapsa videtur. In Synagoga, inquam, cum Summus Sacerdos cum cæteris Sacerdotibus, & Senioribus populi Christum damnarint; illi-que damnationi consenserit populus universus, elata voce, reus est mortis, crucifigatur. In Discipulis vero, cum omnes Christo relicto aufugerint, fidemque negarint, una excepta Deipara: Omnes vos scandalum patimini in me in nocte ista. Matthæi 26. Cujus illud publicum in Ecclesia servatur Symbolum: quod in recitatione Divini Officii, ubi Passio Domini celebratur, extinctis paulatim candelis omnibus, una tantum servetur ardens, Deipara intactam & integram representans. Imo Discipulorum omnium de Christi Resurrectione fidem eo tempore perisse, satis significavit Christus Dominus, dum ad Patrem proxime ascensus; exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt: quandoquidem eo non censentur numero, qui eum viderant furrexisse.

Quamquam si ea labe toti Apostolorum ordini aspergeretur, non tota propterea Ecclesia in Resurrectionis fide errasse censenda esset, cum tota Ecclesia eo solo ordine minime contineretur. Septimum sequitur Ecclesie deficientis, aut certe aliquando defecturæ exemplum ex facris litteris delibatum, quod a Calvinianis obiici solet, fidem scilicet Ecclesie sub finem mundi defecturam esse: propterea quod a Christo Domino dictum sit, Lucæ 18. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? Et 2. ad Thessal. 2. Nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.

Non est tamen cur eo momento moveamur. Nihil enim iis oraculis significatur aliud, quam fore tunc fidem admodum languidam, & ad paucos admodum redactam, ob Antichristi persecutionem; non tamen profus extinctam. Cum & tunc temporis Elesti in terris degentes futuri sint, propter quos persecutionis dies brevissimi a Christo dicuntur.

Octavum producit ex D. Hilarii testimonio desumptum. In Epistola enim, quam SS. Doctor tempore Hærescos Arianae ad Constantium scripsit, retrulit paucos admodum fuisse Catholicos in Oriente; ex quo inferunt, Ecclesiam toto illo tempore defecturam.

Ineptè tamen & ignoranter colligunt ex paucitate Catholicorum in Oriente, visibilem Ecclesiam perisse, dum satis erat, ut tunc temporis emerit in Occidente. Ceterum dico, plures eo etiam tempore Episcopos fidem Orthodoxam defendisse in Oriente. Hanc defenderunt Adelphus, Marcus, Ammonius, Gajus, Paphnutius, alique tum Africa, tum Orientis Antistes, quibus addi possent Philo Lybia Episcopus, Dracontius, quem S. Hilarius exultantem vidit, Eusebius Samofatenus, Cymatius, & plures alii, quos Athanasius in Apologia sua scribit, propter fidei Catholicæ confessionem, exules fuisse.

Ultimum superest ex D. Hieronymi testimonio delibatum, qui post Ariminense Concilium, in quo fidei formula per fraudem Arianorum fuerat immutata, scribit, per totum Terrarum Orbem Arianae Hæresim viguisse: Totus orbis, inquit, ingenuis, & miratus est, se repente factum Arianaum: Ex quo inferunt, universam Ecclesiam & defectisse, & in errorem prolabi posse.

At est illa mera æquivocatio, ex Hyperbolica S. Doctoris loquendi formula enata. Eo enim in loco significare voluit SS. Doctor, plures Provincias propter eminentium illud Ariminense Concilium tunc temporis ad Arianorum partes commigrasse, uti legere est apud Baronium ad annum Christi 358. nec aliter sensit Hieronymum putandum est. Nam plurimi tunc fuerunt in Ecclesia Catholica, qui Arianorum fraude, atque perfidia minime attenta, in fide Orthodoxa firmiter persistere; ut Hilarius Pictavianus, & cum eo to-

ta Gallia, quæ eum de Hæresi veluti triumphante complexa fuit, cum ab exilio reverteretur. Perstitit etiam eo tempore in fide Felix Papa, & cum eo Clerus Romanus, alique bene multi, qui nec Imperatoris Constantii minis, nec Arianorum fraudibus dimoveri potuerunt. Sed de his fatis: Progrediamur ad alia.

PRÆLECTIO XI.

Ecclesiam magnos etiam Peccatores sine suo completi, nec solis iustis, atque predestinatis constare esse, probatur.

Quam audacter Ecclesie auctoritatem depresterunt Lutherani & Calvinistæ, dum eam fallibilem, erronee in fide obnoxiam dixere in superioribus Prælectionibus; tam fidenter nunc eisdem dignitatem & excellentiam evehere sibi fingunt, dum Ecclesiam ex solis iustis, & quidem predestinatis constare esse contendunt. Cur id illi doceant; divinæ non est admodum operosum; nempe ut alteri, quem mordicus tentur, errori viam sternant: hoc est, ut Ecclesiam invisibilem esse nobis evincant. Cum enim quædam re ipsa iusti sint, atque predestinati, nec videamus, nec feceramus in hæc mortali vita; nulla meliori via probari possit, Ecclesiam non videri, quam si ex solis iustis, atque predestinatis constare demonstraretur. Quapropter utrumque refellere officii nostri est.

Sit ergo prima hæc assertio indubitata, & inconcussa: Ecclesia magnos etiam peccatores sine suo completi; nec ex solis iustis, atque predestinatis constare esse, verum etiam ex reprobis.

Liquet hoc primo ex Parabolis: Matth. 13. Simile est Regnum Cælorum Sagena missa in mare, & ex omni genere Piscium congreganti.

Matth. 22. Nuptiali convivio ad quod omnes promiscue admitti sunt: Egressi servi eius in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt malos, & bonos: & implete sunt nuptie discumbentium.

Matthæi 25. Simile erit Regnum Cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatue, & quinque prudentes.

Confirmat hoc etiam Apostolus 2. ad Timot. cap. 2. ubi Ecclesiam comparat domui, in qua sunt vasa non solum aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia.

Item Joannis in Apocalypsi cap. 2. & 3. Variarum Ecclesiarum Episcopos de rebus non levibus, imo gravissimis reprehendens, Episcopo Ephesino ita ait: Cbaritatem tuam primam reliquisti, & Episcopo Sardiceni: Nomen habes, quod vivas, & mortuus es.

Non absimiliter, & Matth. 18. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum salum.

Sint igitur hæc invictissimæ probationes, quibus primam statuta nostræ assertionis partem contra Lutheranos, & Calvinistas ostendamus.

Quod alteram propositæ questionis partem attinet, id pari fide, atque constantia pronuncio: Ecclesiam invisibilem non esse, sed omnium oculis obijci.

Esse autem Ecclesiam visibilem, habemus amplam sacris in litteris probationum materiam.

Matth. enim 5. dicitur: Non potest Civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub medio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.

Psal. 18. In Sole posuit tabernaculum suum: quod de Ecclesia Patres exponunt; Augustinus Enarrat. 2. in Psal. 18. & S. Cyprianus Epist. 69. ubi ait: Sery Tom. IV.

Et illi sunt Ecclesia plebs Sacerdoti adunata, & pastor suo grex adhaerens.

Patet id longe clarius ex aliis Scripturæ testimoniis, quæ falsa perinde dicenda essent, si visibilis Ecclesia non esset.

Matth. 18. Dic Ecclesie. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Erbicus, & Publicanus.

Act. 20. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivistis sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam Lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Cap. 18. Descendens Cæsaream, ascendit, & salutavit Ecclesiam. Cap. 15. Cum autem venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & senioribus; & alibi sapius. Ut plane Lutheranos, & Calvinistas non modo cæcos, sed & recordes esse oporteat, qui Ecclesiam invisibilem esse contendunt.

His robor adit ratio non una, sed triplex. Primo: Definatur Ecclesia societas fidelium baptizatorum: Socii porro debent se ipsos certo certius agnoscere ex publicis, & communibus signis. Quomodo igitur id fieri possit, si invisibilis esset Ecclesia? Secundo: debemus nos Ecclesie adjungere, in ea perseverare, Præpositis ejus morem gerere, communicare cum membris. Tertio: Ecclesia congregatio est hominum in eodem cultu manentium. Quomodo id fieri posse putatis, si ut initio spondimus probaturos, visibilis Ecclesia non esset?

Neque tamen, dum Ecclesiam visibilem dicimus, ea omnia quæ in Ecclesia, ac de Ecclesia sunt, videri contendimus: uti si hominem visibilem dicam, non propterea videri ejus animam, videri cor, hepar, cerebrum, vitales spiritus affirmabo, sed geminam veluti partem in Ecclesiam fecerim volumus: corpus ut ita dicam, & Spiritum. Primum, seu corpus in externa illa fidelium societate, iisdem ritibus Deo servientium, iisdem Sanctis participantium, iisdem legibus utentium, iisdem Præpositis obsequentium, positum est: Alterum, seu spiritum in secretiori Spiritus S. directione, in charitatis compage, in unione gratiæ, donorumque situm est. Qua distinctione posita, ruunt quæcumque Calviniani momenta congerunt, ut Ecclesiam invisibilem probent. Quæ enim de interiori, & invisibili Ecclesie Spiritu Sacris in Litteris dicta sunt ad Ecclesie corpus misere detorqueant, ut & illud minime videri probent.

Sic illud Jeremiae 31. Dabo legem meam in visceribus eorum: & illud Lucæ 17. Regnum Dei intra vos est. Et 1. Petri 2. Ipsi tanquam lapides vivi superedificamini, domus spiritualis, sacerdotum sanctum, offerro spirituales Hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. Quæ de interiori Ecclesie Spiritu, non de externo corpore dicta sunt.

Sed audiendi sunt Lutherani, quid de peccatoribus & reprobis obijcere soleant, ut illos Ecclesie corpore excludat ostendant.

Horum nonnulla ex sacris Litteris petuntur, alia ex Patribus delibantur, quibus ex integro satisfacere, nostri nunc muneris est & officii.

Gravissimum illud est, quod ex Isaie Prophecia petitur cap. 52. ubi quasi in præsentis Ecclesie statum oculos intendens, ita vaticinatus est: Non adjiciet ultra, ut pertransat per te incircumcisus: hoc est homo quicumque incircumcisus cordis, & immundi.

Aberrant Calviniani toto ostio. Si enim litteralem hujus oraculi sensum attendimus, de Jerosolyma post captivitatem Babylonicam instauranda vaticinatus est Isaías: quo ex tempore incircumcisus, & immundus, hoc est Gentilibus parere ultra non debet Jerosolyma, uti observavit Hieronymus.

ronymus, Si figuratum sensum inspicimus, non ad Militantem, sed ad Triumphantem Ecclesiam adumbrandam refertur. Quæ Episcoporum Africanorum responsio fuit in *Collatione cum Donatistis*, & D. August. *lib. ad Donatistas post Collationem cap. 8.*

Congerunt secundo in ordine ea Apostoli dicta, quæ omnem cum improbis societatem habendam prohibent, 2. Cor. 6. *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? at si peccatores insignes in Ecclesia essent, cum iis esset habenda societas.*

Conatu nihilominus irrito. Ut enim sciam loqui hic Apostolum de societate cum Infidelibus non habenda: juxta quod addit; *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ pars fidei cum infideli? unde nihil ad præfens institutum nostrum, agit enim de matrimonio cum infidelibus non inuendo: Illud insuper addi potest; Non esse cum peccatoribus societatem habendam familiaris conversationis, & conjunctionis morum; bene tamen societatem cum iis habendam esse participatione eorumdem Sanctorum, in ritibus, in cultu, in legibus, in directione Prælatorum; in quibus communio Ecclesiastica sita est, quam etiam cum peccatoribus habere debemus.*

Durius fortasse videbitur, & Calvinianorum instituto accommodatius, quod Rom. 8. legitur; *Si quis autem Spiritum Christi non habet: hic non est ejus: Et 1. Cor. 12. In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus: unde istud argumentum in gratia Calvinianorum elici potest: Si non sunt Christi, & Ecclesiæ membra ex Apostolo, qui Christi & Ecclesiæ spiritum non habent: Quicumque enim Spiritu Dei agitur, si fuit filii Dei, Rom. 8. Peccatores vero Christi & Ecclesiæ spiritum non habent: concludendum est ergo, Christi & Ecclesiæ membra dici non posse.*

Reponunt de more plures Theologi: peccatores Ecclesiæ membra non esse simpliciter, & univoce, hoc est, vera membra & viventia; esse tamen membra requivoce, & secundum quid, id est mortua, nondum tamen a corpore mystico præfisa. Non repugno. Simpliciter tamen fuerit si dicatur cum Petro Soto & Melchioro Cano, malos & improbos Ecclesiæ membra omnino non esse; quamquam, & sint in Ecclesia tamquam humores peccantes, & partes excrementitiæ. Sic enim docet Augustinus *Tract. 3. in Epist. Joan. Sic sunt (peccatores) in corpore Christi, quomodo humores mali in corpore hominis.* Plus certe desideratur ut quid corporis membrum sit, quam ut sit in corpore & de corpore.

Næque obest, quod contra geminam Responsionem opponit Card. Bellarminus, fore inde consequens, ut Pontifex malus, & improbus non sit Ecclesiæ caput; contra quod definitum est in Concilio Constantiensi *sess. 15.* contra Joannem Hus. Membrum enim mortuum, imo pars excrementitia, aut humor peccans, caput esse non potest. Non id inquam obest: quia caput Ecclesiæ visibile constituitur per Jurisdictionem, & auctoritatem in cætera membra: Membrum vero dicitur per receptionem influxus vitalis invisibilis a Christo capite, quo spiritaliter vivit. Cum itaque Pontifex malus & improbus Jurisdictionem retineat in membra Ecclesiæ, conditionem capitis habet; etsi verum Ecclesiæ membrum non sit, defectu spiritus vitalis a Christo recepti.

Non repugnant porro ista duo, esse scilicet caput & non esse membrum vivum, patenti argumento, & quidem a fortiori convincit. Receptissima enim Theologorum sententia est, & hæreticos occultos, qui nempe hæresim animo fovant,

quam tamen minime produunt, Ecclesiæ membra non esse, imo non esse in Ecclesia: quamvis, quia ignoti sunt, Sanctorum Communionem fruantur: juxta dictum Augustini *lib. de unitate Ecclesiæ cap. ult.* Multi hæretici sunt in Sanctorum Communionem cum Ecclesia, & tamen jam non sunt in Ecclesia: Ecquo vero pacto essent hæretici illi occulti in Ecclesia ac de Ecclesia, quæ non nisi fidelium societas est? ut habet Innocentius *cap. Firmiter, de summa Trinitate.* Et tamen Pontifex, adhuc remanet Pontifex, estque perinde caput Ecclesiæ, donec detecta ejus hypocrisis deponatur. Quanto magis igitur poterit esse caput, si moribus tantum improbus de Ecclesia sit, sin minus uti membrum vivum, at saltem ut mortuum membrum, ut pars excrementitia, ut humor peccans, quemadmodum loquitur Augustinus?

Repugnant ista fateor in corpore physico: Caput esse, ac non item veri nominis membrum; quia caput naturale non potest in alia membra infuere, nisi informetur ab anima, & vitæ influxum ab ipsa recipiat. At non repugnant in corpore mystico: quia potest caput jurisdictionem in membra exercere; quamvis a forma, ut ita loquar, & anima Ecclesiæ, idest fide & caritate non informetur. Sed alia expediemus Calvinianorum argumenta ex Patrum auctoritate delibata.

Ex tribus maxime præfidiis petunt; ex Cypriano scilicet, Augustino, & Joanne Chryso-stomo. Et quidem Cyprianus *lib. de unitate Ecclesiæ* principium hoc certissimum ponit: *Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem: Ex quo illud vicissim inferunt Calviniani, non habere Ecclesiam matrem, qui Deum non habet patrem. Mali porro & improbi Deum non habent patrem, sed Diabolum potius, juxta illud Joan. 8. Vos ex patre diabolo estis: concludunt igitur malos & improbos de Ecclesia nequaquam esse. Unde idem Cyprianus *Epist. 76.* ait: *In Ecclesia Dei, in qua non nisi concordantes atque unanimiter habitant, loquente Spiritu Sancto, & dicente: Deus qui inhabitare facit unanimis in domo. Mali autem & improbi unanimis non sunt. Quis igitur poterit, improbus de corpore Ecclesiæ appellare?**

Verum utraque consecutio spuria est. Spuria est prima. Etsi enim Deum patrem non habeat, qui non habet Ecclesiam matrem, non sequitur vicissim, non habere illum Ecclesiam Matrem, qui Deum non habet patrem, quia filius Ecclesiæ quis est per fidem; Filius Dei per charitatem. Porro tamen nemo possit habere charitatem sine fide, potest tamen quis habere fidem sine charitate. Spuria quoque est altera consecutio; quia duobus modis potest dici quis Filius Dei, & ratione imitationis, juxta illud Christi Domini, *Matthæi cap. 5. Diligite inimicos vestros, benedicite his, qui oderunt vos . . . ut sitis filii patris vestri, qui in caelis est: quo titulo non sunt improbi Filii Dei, sed Diaboli, quem propius imitantur; & ratione doctrinæ: juxta illud Apostoli ad Galatas 4. *Filii mei, quos iterum parvulo, donec formetur Christus in vobis; quo sensu ipsi quoque improbi modo fidem teneant, Dei filii sunt, quemadmodum & Ecclesiæ. Altero vero loco loquitur Cyprianus contra Schismaticos, qui Ecclesiæ scindunt unitatem. Atque ita de concordia, & unitate fidei loquitur, quam tenent fideles universi, non de unitate & concordia charitatis & Spiritus, quam soli Justi in Ecclesia servant.**

Nullo meliori titulo producitur contra nos Augustinus *lib. 2. contra Cresconium cap. 21. lib. 2. contra litteras Petilianæ cap. ult.* & alibi sæpe affirmans homines male & pollute conscientie non esse in corpore Christi, quod est in Ecclesia: quo-

quoniam non potest Christus habere membra damnata. Nihil enim sibi vult aliud SS. Doctor, quam quod paulo antea memorabam, non esse polluta ac male conscientie homines in Ecclesia, tamquam illius membra viva, ac proprie dicta; etsi in Ecclesia & de Ecclesia sint tamquam membra mortua, seu verius, uti partes excrementitiæ & humores peccantes: ut ipsemet docet *Tract. 3. in Epist. Joannis.*

Supereft Joannes Chryso-stomus, qui dictum illud Apostoli exponens 2. ad Timoth. 2. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, ait non posse id intelligi de Ecclesia, quia in ea non sunt vasa nisi aurea, & argentea.*

Cui reponere satis est, Chryso-stomum locum illum Apostoli exponere de vasis, non quibuscumque in domo existentibus, sed de vasis ad publicum usum necessariis: adeoque nil mirum si locum hunc de Ecclesia nolite intelligi; quia quæ in ea sunt vasa lignea, fictilia, & ignobilia, necessaria non sunt ad publicum ministerium; plufque obfunt, quam profint. Totum id ex Chryso-stomi contextu competere est. *Sunt ergo in Ecclesia mali, etsi Ecclesia sint noxii mali: sunt in ea vasa fictilia, etsi sine Ecclesia inutilia; Juxta præclarum illud D. Hieronymi dictum in Dialogo contra Luciferianum: Arca Noe Ecclesiæ typus fuit . . . ut in illa omnium animalium genera; ita & in hac universarum & gentium & morum homines sunt. Ut itei pardus, & hedi, lupus, & agni: ita & hic justus, & peccatores, idest, vasa aurea & argentea, cum lignis & fictilibus commemorantur.*

Absoluta igitur de Ecclesia Theologica Tractatione, & quantum ex Scripturarum Oraculis licuit, Catholica Veritate propugnata; id unum nobis in præfenti reliquum est, ut de Ecclesiæ notis, ac primum de illius Unitate sermonem instituanus. At quia novam Argumentum istud industriam desiderat, ac laborem, idcirco in alteram Relectionem mittimus accuratius pertractandum.

PRÆLECTIO XII.

Unitatem veræ Ecclesiæ a Christo Domino institutæ, primam dotem esse notamque præcipuam, demonstratur.

Cum extra veram Ecclesiam salus nulla possit esse; tamque teneamur in omnibus auscultare, illiusque legibus regi, præceptis imbui, illiusque Præpositi gubernari; illud est præ cæteris necessarium internoscere, quæ vera Ecclesia sit, cujus in sinu vivere oporteat, cujus vocem audire teneamur. Id ut noverimus, quatuor præfinitur sensibiles notæ seu characteres, quibus vera Christi Ecclesia a quibusvis pravis sectis de facili fecernatur; si nimirum Una sit, Sancta, Catholica, & Apostolica. Quas omnes notas nos credere profitemur in Symbolo Constantinopolitano: *In Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* De his ergo notis dum dicere aggredimur, tria demonstranda sumimus: Primum, harum notarum quamlibet veræ Ecclesiæ congruere Sacris in Litteris adumbratæ, & a Christo Domino institutæ. Secundum, harum quamlibet Ecclesiæ Romanæ propriam esse. Tertium, harum notarum nullam, Lutherana & Calviniana secta competere posse, ut inde colligere tandem liceat, solam Romanam Ecclesiam veram esse, & a Christo Domino institutam.

Ut ergo de nota prima dicam loco prius, illud prima omnium ostendo: Unitatem veræ

Ecclesiæ a Christo Domino institutæ primam dotem esse, notamque præcipuam.

Liquet id in primis Joann. 10. *Alia oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.*

Liquet id perinde 1. Cor. 12. *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno Spiritu potati sumus . . . Vos autem estis Corpus Christi, & membra de membrò.*

2. Idem Cor. 11. *Respondi enim vos uni virò Virginem castam exhibere Christo.*

Cant. 6. *Una est Columba mea, perfecta mea, una est . . .*

Alterum accedit nil minus indubitatum probationis momentum ex eo, quod Sacris in Litteris quoties a Christo Domino, & Apostolis fidelium societas nominatur, seu Ecclesia, toties singulari numero designatur.

Matth. 18. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripue eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhibe unum, vel duos.*

Ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est; Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

Hoc idem docere celebratissimi Ecclesiæ Patres. S. Cyprianus librum ex instituto edidit *De Unitate Ecclesiæ.* Alii passim, maxime vero Augustinus, & Hieronymus Ecclesiam conferunt cum Arca Noe: cum domo, in qua agnos comedi jubebatur; cum tunica Christi inconsutilli: Cum domo Rahab, in qua excepti sunt exploratores. En tibi primam apertissime demonstraturam.

Nunc illud nobis est operosius inquirendum, unde maxime Ecclesiæ Unitas repetatur? Quia in re est multa unitatis argumenta sint: ut *Principii unitas*, Dei scilicet, & Christi ejus, a quo Ecclesia fundata est; *unitas finis*, nempe felicitatis æternæ, ad quam aspirat: *unitas charitatis*, quæ interior Ecclesiæ vita est. Expeditus fuerit, si dicamus, ex tribus aliis maxime peti Ecclesiæ unitatem; ex unitate capitis, ex unitate fidei, ex unitate, seu ut Schola loquitur, identitate Sacramentorum. Primum patet ex isto Joannis 10. *Fiet unum ovile, & unus pastor.* Secundum ex illa ad Ephesios 4. *Una fides, unum baptisma . . . donec occurramus omnes in unitatem fidei.* Tertium ex isto 1. Cor. 10. *Omnis qui de uno pane, & de uno Calice participamus. Quo posito equis non videt, primam hanc Ecclesiæ dotem, videlicet unitatem, uni & soli Romane Ecclesiæ convenire, non item sectæ Lutherana & Calviniana. Hæc illa fuit, quam omnium Ecclesiarum matrem atque magistram . . . Contrarium unitatis Ecclesiæ . . . Unde Sacerdotalis unitas omnis exorta est, tota semper antiquitas professæ fuit. Cyprianus *Epist. 41. 45. 55.* Irenæus *lib. 7. Adversus hæreses cap. 3.* Optatus Milevitanus *lib. 2. contra Parmenianum, Hieronymus Epist. 75. ad Damasum, Concilium Lateranense sub Innocentio III. Concilium Tridentinum Sess. 7.* Hæc illa est, quæ suam fidelium societatem in omnem locum diffusam, semper habuit, Episcopo Romano ut Capiti suo a Christo Domino instituto adhaerentem, cum Patres ferme omnes, qui Ecclesiam Christi declarant in totum terrarum Orbem esse diffusam, eandem semper cum Episcopo Romano Communionem conjunctam esse asserent. Hæc illa, quæ Romanorum Pontificum, cæterorumque Pastorum suorum successorem semper & ubique imperturbatam tractavit, seu tempore Ethnorum Imperatorum, seu Alarico Gothorum Rege Romanam*

nam capiente, cum sedebat Innocentius I., vel Genesio Urbem postea depopulante, cum sedebat Vigilius, vel sarracenis Longobardis, quorum tyrannicum agendi morem in Romanos Episcopos suis passim Episcopis perstringit Gregorius; vel denique cum in Gallia sese receperunt, ut refert Bernardus tum in *Epistola 243. ad Populum Romanum*, tum *244. ad Conradum Imperatorem*. Hæc illa, quæ tota licet repugnante hominis natura, furentibus Tyrannorum persecutionibus, semper eandem fidei professionem, eandemque Sacramentorum participationem constanter, firmiterque servavit, fovit, defendit. Hinc consequens illud videtur, quod spondi me initio probaturum, primam hæc Ecclesie dotem, soli Romanæ Ecclesie, minime vero Lutheranae & Calvinianæ posse convenire. Et sane: quo pacto prima hæc dos, quo ad unitatem capituli pertinet, congruere ei potest; si regimen simile, & visibile Caput non habeat Pontificem Romanum, tanquam centrum Ecclesiasticæ unitatis Christi D. institutum? Satis est si dicamus, adeo diversum regimen esse apud Lutheranos & Calvinistas, ut inter Lutheranos ipsos idem non sit, cum videamus in solo Angliæ tractu, diversas profusus esse Ecclesiarum administrationes. Quo pacto hæc dos, quo ad unitatem fidei, potest Lutheranorum, & Calvinistarum Sectæ pertinere, si tot & tantæ inter ipsos videantur oborta scissiones, & dissonantia, quot sunt articuli fidei, quam profitentur? Patet itaque in Confessionibus variis, & inter sese contrariis, quas si Lutherani, qui defensoribus sensus pertinent, si tot & tantæ temporibus ediderit; ex Augustana a Melanctonio primam edita, & Carolo V. exhibita Anno 1530. & ab eodem Melanctonio post annos quatuor consecrata. Ex Articulis Smalcaldensibus secuta inde temporibus, Anno nimirum 1537. collectis, quique Tridentino Concilio, quod a Paulo III. Mantua tunc temporis indictum fuerat, offerri debebant. Ex aliâ, quæ secuta est Saxonica Tridentinæ Synodo Anno 1552. oblata, Tandem, ut paucis expediam, ex Vittembergensi anno sequenti eidem Concilio oblata. Quid dicam postea de aliis bene multis a Lutheranis sensus figurativi defensoribus editis? Aliam obolevit Carolo V. eodem tempore confessionem, quæ Argentinensis dicta est; quæ cum omnibus ejusdem Sectæ non aequè placuerit, in causa fuit, cur multi suam peculiarem statuerent voluerunt. Quatuor itaque successively scripserunt Helvetii: Peculiarem suam conscripserunt Genuenses & Galli: duæ etiam visæ sunt in Angliâ, duæque sub nomine Ecclesiarum Scotiæ. Fuit & alia conscripta in Belgio, & a Synodo Doctracena approbata; aliæque bene multe, quæ in unum corpus collectæ legi possunt, typis excusæ Genevæ apud Petrum, & Jacobum Ghou Anno 1612. Quid dicam de sexcentis aliis in articulis fidei, Doctrinæ, dogmatis, variationibus, contrariisque circa Sacramenta sententiis. Afferebant enim initio Reformationis Lutherani, Ecclesiam visibilem esse, & quidem visibilitate permanenti. Talem porro fieri dicebant per enuntiationem Doctrinæ, a Pastoribus fieri solitam, rectamque Sacramentorum administrationem. Liqueat hoc maxime ex *Confessione Augustana articulo 7.* ubi proficitur se credere unam sanctam Ecclesiam, quæ in perpetuum duratura est, eamque esse Societatem Sanctorum, in qua recte annuntietur Evangelium, & administrantur Sacramenta. Idem habetur in *Confessione Saxonica: Cap. de Ecclesia, in Confessione Wittembergensi*, cujus fuit auctor Joannes Brentius cap. de Ecclesia; Tandem in *Confessione Bohemica*, quam ipse approbavit Lutherus.

Illud idem initio docebant & Calvinistæ, ut constat ex *Confessionibus Argentinensi cap. 15. & 16. Basiliensi an. 1536. Helvetica an. 1566.*

Mutarunt postmodum sententiam, cum, ut observat Jurius in *Systemate Ecclesie pag. 226.* peterent ab iisdem Catholicis, ubinam erat Ecclesia sua ante annos 150. docueruntque visibilitatem Ecclesie perpetuam non esse, sed aliquando visibilem. Ita præsertim Ecclesia Calvinistarum in Gallia, ut constat ex eorum *Catechismo Domini ca. 15.* Ex Claudio in *Defensione Reformationis*; ex ipso Calvino in *presatione Institutionis*.

Quin, & illud notandum velim, nec firmiter huic adhæsisse sententiæ, cum ut Jurius observat in *lib. de vera fidei analysi*, & Illustrissimus Bofuetius Meldensium Episcopus in *Historia variationum*, variationes longe plures inter ipsos oborta sint.

PRÆLECTIO XIII.

De Sanctitate Ecclesie.

DE Sanctitate, quæ altera veræ Ecclesie nota est, hodierna luce dum dicimus, illud præ cæteris cavendum est nobis, ne quod jam una manu edificavimus, altera destruas. Cum enim Ecclesiam malis perinde ac bonis, peccatoribus aequè ac iustis constari, diu antea probaverimus; haud ita facile intelligitur, quo titulo Sancta dici possit Ecclesia Christi, quæque tot insignibus peccatoribus constat. Quare ut hoc argumenti genus qua par est prudentia, arque cautela pertractemus, explicabimus omnium primo, quæ, & qualis ea veræ Ecclesie Sanctitas sit, quæ cum, tot filiorum suorum improbitate stare possit. Tum vero hanc ipsam sanctitatem Ecclesie Romanæ congruere, non item Lutheranae & Calvinianæ Sectæ, demonstrabimus.

Ac primo quidem veram Ecclesiam a Christo Domino institutam Sanctam esse, nemo opinor ibit inficias, adeo scilicet aperta nitidaque sunt Sacrarum Scripturarum Oracula, quæ id aperte significant.

Joan. 17. Pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint & ipsi sanctificati in veritate.

Ad Ephes. 5. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.

Ad Titum 2. Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, solumque bonorum operum.

i. Petri 2. Vos autem gens electam, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.

Quamquam non est, cur in eo demonstrando tempus diutius impendamus, quod a nemine, quod sciam, revocatur in dubium.

Quæ autem sanctitas illa sit, quam characteristicam Ecclesie notam dicimus, hæc ipsa, quæ laudavimus oracula, aperte declarant. Sanctitas videlicet est *Vocationis & Professionis*, non Sanctitas personalis quorumcumque fidelium. Sanctitas inquam est *vocationis*, quæ nimirum Ecclesia tota vocatur a Christo illius auctore ad Sanctitatem: juxta illud *ad Ephes. 1. Elegit nos in ipso æterni mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in caritate.* Sanctitas est *professionis*, hoc est, dogmatum suorum & disciplinæ, quia Ecclesia mores sanctos ex publicis Institutis, & legibus proficitur. Unde in Baptismate, quo fideles Ecclesie adscribuntur, profitentur renuciare se mundo, & Diabolo, & omnibus pompis ejus. At non perinde sanctitas est personalis, quæ singulis illius filiis personaliter

instit

instit: Cum tam multi & a vocationis suæ fine, & a publica sanctitatis professione defectant, quæ in suscepto fecere baptismate.

Quare si quis fortassis objiciat, quod nobis objiciunt Lutherani, & Calvinistæ, non esse illam societatem sanctam, quæ sapius indigitur reformatione a Sanctissimis Viris, & ab ipsis Conciliis, Constantiensi nimirum ac Tridentino desiderata: Respondendo, eam sane societatem sanctam non esse dicendam, quæ in rebus ad fidem, aut regulas morum spectantibus indiget reformatione: Secus vero si in rebus, quæ ad solam pertinent disciplinam. Quod ergo Ecclesia nusquam in iis, quæ ad fidem, morumque regulas pertinent, reformatione indiguerit, ex eo liquet, quod eandem fidem, eandemque morum regulas professæ sit, quæ ab Apostolis post Christi in Cælos ascensum edocta est: Probat ideo si possunt Sectarum culusvis generis sint, aliquam in iis capitibus novitatem: Ostendant tempus, locum, occasionem, causam, in quibus doctrina vetus per orbem ab Apostolis prædicata, innovata, ac adulterata fuerit. Si in posterum tamen propter hominum corruptionem, & vitæ relaxationem, novam disciplinam sanciri oportuit, disciplinæ hujusmodi innovationem Sanctitati Ecclesie officere, nefas est dicere. Ad hoc non solum Tridentinæ, sed omnium pene Synodorum studium attendit: Ad hoc tot Imperatorum, Regum, Principum, Cleri, Cardinalium quærelæ directæ erant, ut Canones ad disciplinæ, non autem doctrinæ reformationem pertinentes concederentur.

Cæterum sanctitatem illam vocationis, & professionis, quam characteristicam veræ Ecclesie notam esse dicimus, Lutheranae & Calvinianæ Sectæ non competere, sed Romanæ Ecclesie propriam esse, ex duobus summis Capitibus evinco. Primo, quia Lutherana, & Calviniana Secta, multa Doctrinæ Capita proficitur, quæ omnem sanctitatis, ac pietatis sensum extinguunt: 1. ut Mandata Dei etiam cum Divina Gratia esse profus impossibilia; 2. homines sola fide justificari: 3. peccata quorumcumque habentibus fidem non imputari: 4. fidem semel habitam nunquam amitti: 5. nihil homines bonis operibus promereri: 6. Deum auctorem esse peccati, etiam quoad deformitatem. 7. Peccata homini esse dimissa, ex quo credit sibi esse dimissa.

Secundo: Quia ea Sacramenta, & Ecclesiasticæ disciplinæ capita sustulerunt Lutherani & Calvinistæ, quæ sanctitati fovendæ maxime congruissem, omnemque ideo laxitatem in suam Sectam induxerunt; confessionem enim Sacramentalem, uti humanum inventum exploserunt; jejunium quadragesimale, abstinentiam a Carnibus certis diebus præstitam abjecerunt, Celibatum status Ecclesiastici, & vota Religiosa sustulerunt, ac prætextu Reformationis, Templâ Clericis, Claustrâ Monachis, Monasteria Virginibus eripuerunt: totum semæ externum Ecclesie cultum abrogarunt: quodque in externo cultu Sanctissimum est, Sacrificium omne sustulere. Quid plura? Lutherus novissimus Reformator, Missam sustulit tanquam Idololatriam Diabolo ipso Doctore atque Magistro: Fateur id *lib. Missæ angulari, & unctioe Sacerdotum anno 1534. Wittembergæ.*

At ecce excusare ista nituntur Lutherani, & Calvinistæ, ne a sanctitatis professione abscedere videantur. Christus, inquit, mortuus est, ut nos liberaret a maledicto legis, utque nos adferret in libertatem filiorum Dei. Sed non advertunt imprudentes a qua nos lege Christus Dominus liberavit, tum quam libertatem induxerit. Nempe liberavit nos Deus: Primo a lege peccati & mortis, ut loquitur Apostolus. Secundo:

liberavit nos Deus Jugo Mosaicæ legis: Induxit libertatem a peccato, quæ juxta Apostolum libertas est; Unde videtur non nisi desperata causa necessitate absonum istud esugium quaesivisse.

Illud jam reliquum est, ut de tertia Ecclesie nota, nimirum Universalitate seu Catholicitate differamus, quæ quia peculiare criterium postulat, ideo in diem alteram mittimus, majori otio proferenda.

PRÆLECTIO XIV.

De Universalitate seu Catholicitate Ecclesie.

TERTIAM attigimus veræ Ecclesie notam in Symbolo Nicæno præscriptam, quam de more Catholicitatem, seu universalitatem appellant. De qua, ut debita methodo dicamus in præsentia, tria potissime demonstrabimus: primum, universalitatem, seu generalem per totum orbem diffusionem, veræ Christi Ecclesie notam esse, quæ a profanis quibusque sectis est fecerenda: alterum, illam ipsam notam, Ecclesie Romanæ maxime congruere: tertium, Lutheranae & Calvinianæ Sectæ minime convenire.

Primum ex Instituto, ac data opera adversus Donatistas defendit Augustinus; variique Sacrarum Scripturarum Oraculis confirmavit, ac illis in primis; in quibus futura Christi Ecclesia in Veteri Testamento prænuntiata est, tanquam futura Christi hereditas, quam a patre suo accepturus erat, quæque Universum orbem esset occupatura.

Psal. 2. Postula a me, & dabo tibi Gentem hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre.

Psal. 21. Convertentur ad Dominum universi fines terre; & adorabunt in conspectu ejus universa familia Gentium.

Psal. 71. Dominabitur a mari usque ad mare: & a flumine usque ad terminos Orbis terrarum.

Gen. 22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terre.

Tum illis novi Testamenti Oraculis, quibus Christus Ecclesiam suam toto Orbe diffundi debere mandavit: *Matth. ultimo: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*

Marci 14. Ubiunque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.

Act. 1. Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judea, & Samaria, usque ad ultimum terre.

Cæterum quamquam Universalitas, quæ characteristicam Ecclesie Nota est, localis maxime sit, ut significetur, veram Ecclesiam in omnem mundi Regionem debere diffusam; alia tamen Ecclesie universalitas est, quæ eo perinde titulo designatur: Nempe universalitas doctrinæ, & universalitas Communionis tam permanentis, quam successivæ.

Significat itaque primo vox hæc Catholica universalitatem doctrinæ: ob id nimirum, quod Catholicus ille minime dicendus sit, sed Hæreticus, qui vel unum errorem contra fidem pertinaciter sustineat atque defendat, sive error ille fundamentalis sit (ut heterodoxi loquuntur) sive fundamentalis non sit: Propter unum verbum aut duo, quæ contraria fidei sunt, (inquit Hieronymus *lib. 3. adversus Rufinum*) male hæretice abjectæ sunt in Ecclesia. Cuique videtur innuere Augustinus *Epist. 55. cap. 19.* ubi sic loquitur:

tur. *Ecclesia que sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.*

Secundo significat vox hæc Catholica universalitatem communionis permanentis, constam scilicet fidelibus communionem per totum terrarum Orbem dispersis, a qua si quis se ipsum separaverit, Hæreticus, atque Schismaticus, minime vero Catholicus censendus est. Hoc evincit, quod legitur tum *Act. 1. Eritis mihi testes in Jerusalem Et usque ad ultimum terræ: tum Lucæ 24. Quoniam sic scriptum est; & sic oportebat Christum pati Et prædicari penitentiam per omnes gentes, incipiens a Jerusalem.* Quibus Oraculis ad stipulatur etiam Augustinus *lib. de Unitate Ecclesie cap. 11. & 12.* & Vincentius Lirinensis *Commonitorii cap. 31.*

Significat Tertio eadem vox Catholica universalitatem communionis successivæ, cum ab Apostolo Petro ad nostra usque tempora sine ulla intermissione pervenerit. Proinde cum Hæretici, & Schismatici sint posteriores Ecclesie, nullam cum ea communionem habere possunt; quod apertissimis verbis enuntiant Irenæus *lib. 3. de hæresibus cap. 4. Ante Valentinum enim non fuerunt, qui sunt a Valentino; neque ante Marcionem erant, qui sunt a Marcione.* Clemens Alexandrinus *lib. 7. Stromatum pag. 764. Quod enim Ecclesia Catholica posteriora sua fecerint conciliabula, non est opus multis probare.* Catholica vero Ecclesia semper fuit.

Ex quibus igitur liquet, quæ debent a viris fidelibus profiteri, ad hoc ut suam probent Catholicitatem.

At illud nunc operosius demonstrandum est, Eam Universalitatem, seu Catholicitatem Ecclesie Romanæ congruere quidem, at non item Lutheranae & Calvinianæ Sectæ convenire.

Certe si in ipsam Europam oculos conjiciamus, nondum in Hispaniam, Lusitaniam, Italiam Lutherana, & Calviniana Secta penetravit: Si alias Orbis partes inspicimus; nedum in Asiam, Africam, Ægyptum, aut Græciam; multo minus ad Indos, seu Orientales, seu Occidentales, in Americam seu Brasiliam, Japoniam, & Sinas, aliasque novi Orbis Regiones penetravit, ad quas Romanæ Ecclesie fides Ministrorum Evangelicorum prædicatione pervenit.

Nec ulla Lutherana, & Calvinistica spes esse potest, perventurum illuc aliquando ipsorum Evangelium; Cum nec procurandæ exterarum gentium conversioni ellaborent Lutherani & Calvinistæ; nec eam procurare possent, tamen vellent maxime: Cum vera Christi Ecclesia, ut ipsi quidem ajunt, jam consenuerit; & sæculi finem de proximo contingamus.

Non me fugit, quid eo argumento pressi nuper reposuerint Calviniani: quid præ cæteris reposuerit audacissimus, & ferocissimus Minister Enricus in libro quodam Gallicè scripto, cui titulum dedit: *L'esprit de M. Arnauld.* Nempe reponit ille, Romanæ fidei professores, ut Ecclesie suæ universalitatem localem ostendant, perperam ostentare procuratam ab ipsis conversionem novi Orbis, ac tum maxime Japoniarum, Sinarum, & Indorum, quasi vero illos Ecclesie Romanæ aggregarint: cum potius populos illos non Christianos Evangelica prædicatione fecerint, sed Semichristianos, qui Baptismum forissecus quidem exceperunt; Idololatram vero cum Evangelii professione conjungunt; Idolaque sua perinde ac antea colunt, adorant: atque adeo veræ Christi Ecclesie aggregati censeri non possunt, nisi Ecclesiam velimus esse Idololatrarum societatem.

Verum injuriam Romanæ Ecclesie irrogant, qui id nobis objiciunt. Demus enim Ministros

aliquos Evangelicos, ita sacri Ministerii proditores fuisse, ut infamem illam Idololatram in suis Neophytis tolerarint: non omnes tamen in eam laxitatem, impietatemque prolapsi sunt.

Alteram nobis Cantilenam occentant Lutherani, & Calvinistæ, ut Ecclesiam Romanam ea universalitate non gaudere modo nobis ostendant. Nunc saltem, inquit illi, Ecclesie Romanæ diffusio, & amplitudo admodum imminuta est, atque ad certa Regna coarctata: tum Græcorum schismate, quod totum ferme Orientem illi avulsi: tum Lutherana scissione, quæ varia Europæ Regna nobis eripuit.

Non est tamen ita ut fingunt morosi Censores. Iis quippe ipsis Regnis, aut Græcorum Schismate discissis, aut Lutheranorum, & Calvinistarum Hæresi infectis extant quoque fideles Romanæ fidei professores, qui Religionis vix exercitium habent, alicubi quidem patenter, & publice, alicubi secreto atque occulte, & quantum fit satis, ut nostram illic Ecclesiam subsistere dici possit.

Cui addiderim etiam; ad afferendam Romanæ Ecclesie Universalitatem satis esse, si in illis ipsis Regnis Romana Religio fuerit, ac etiam floruerit aliquando. Nec enim necesse est, ut semper actu sit toto Orbe diffusa.

Patet id ex prioribus Ecclesie sæculis ac maxime sæculo quarto. Quamquam enim hæreses longe multæ, integras quandoque Provincias ac etiam Regna corripserint; Ecclesie nihilominus universalitatem perinde contra Donatistas propugnabant Patres atque Concilia.

Egimus ergo de Universalitate seu Catholicitate Ecclesie, & a Lutheranorum & Calvinistarum nebulis Catholicum dogma, prout potuimus, propugnavimus. Superest nunc ut de quarta Ecclesie Nota *Apostolica*, quæ peculiarem difficultatem ingerit, Sermonem instituiamus; de qua in sequenti dicemus.

PRÆLECTIO XV.

De quarta Ecclesie Nota, *Apostolica.*

DE quarta, eaque postrema veræ Ecclesie nota, quo videlicet *Apostolica* dicitur; hodierna luce, disputaturus, illud omnium primo studiosam Juventutem admonere: multis quidem titulis veram Ecclesiam *Apostolicam* dici, non omnes tamen titulos, illam ipsam esse notam de qua nobis ad præsens est disputatio. *Apostolica* siquidem Ecclesia dicitur aliquando ratione primæ Institutionis, quod nimirum a Christo sit instituta, quem Paulus ad *Hebræos 3.* vocat *Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ.* *Apostolum*, inquam, propterea quod a Deo Patre sit missus, *Apostolus* enim idem est ac missus. *Apostolica* quoque Ecclesia dicitur ratione doctrine, quam proficitur, propterea quod illam ab Apostolis acceperit, juxta Pauli dictam ad *Ephes. 2. Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.*

Verum non est illa veræ Ecclesie nota, de qua quaerimus hodie, sed illius ut ita loquar essentia est, atque natura. *Apostolica* demum Ecclesia dicitur, quod Pastorum Præsentium suorum successione recta serie ab Apostolis ducat, suosque Pontifices & Episcopos quibus regitur hodie, ordine veluti retrogrado, ad Petrum usque, cæterosque Apostolos, quibus successere, perducatur atque recenteat, atque hæc ipsa quarta Nota, est de qua nobis est disputandum.

Hanc itaque veræ Ecclesie a Christo Domino institutæ Characteristicam notam esse oportere palam ostendo, atque demonstrō: Cum enim Christus

stus Dominus Ecclesiam instituerit, ad finem usque sæculi duraturam; (ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi) *Matthæi ultimo*: aliunde vero Apostolos instituerit primos illius Pastores atque Rectores: ad *Ephes. 4.* *Ipsæ dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. Joann. 20.* *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insuflavit: & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Impossibile est apud eos veram Ecclesiam esse, qui originem suam ab illo primo fonte, a prima, inquam, Apostolica Missionem non ducunt. Quod sane argumentum adversus ætatis suæ quocumque hæreticos urget Tertullianus in *Prescriptionibus hæres. cap. 32.* *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit antecessorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesie Apostolicæ census suos deserunt, sicut Smirneorum Ecclesia habens Polycarpum ab Joanne consecratum refert: sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit: proinde utique & cætera exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constituit, Apostolici seminis traduces habeant. Conspiciant tale aliquid hæretici. Quid enim illis post blasphemiam incitum est?*

Jam vero Ecclesie Romanæ congruere notam illam, ductam scilicet ab Apostolis successione, adeo perspectum est, ut inficiari nemo possit. Romanorum enim Pontificum seriem imperturbatam producimus ad Petrum usque Apostolorum Principem a Christo Domino constitutum. Episcopos quoque nostros ab aliis Episcopis gradatim consecratos ostendimus ordine ducto ad Apostolos usque; suamque jurisdictionem & auctoritatem ab illo primo fonte continuata successione derivantes. Quod & ex publicis Historiis, & ex privatarum Ecclesiarum monumentis ostendimus.

Verum ex adverso, non posse perinde notam illam Lutheranæ & Calvinianæ sectæ ulla ratione congruere, (quod præsentis Controversiæ caput est) ita paucis evinco. Successio Ministrorum seu Pastorum Ecclesiasticorum duplicis est potestatis. Ordinis nimirum & jurisdictionis: Porro neutram successione Calviniani ab Apostolis habent. Nec enim Calvinus, quique primum illi ad hæreses Ministri Sectæ suæ fabricatores, in Ecclesia Romana, quæ sola Apostolis successerant, fuerant ordinati; imo nec ab ipsis Episcopis Apostolorum successoribus jurisdictionem acceperant, sed sacrum Ministerium usurparunt, surripuerunt, ac veluti deprædati sunt. Imo nullam modo suorum Ministrorum inaugurationem faciunt Calviniani, sed a solo ipsorum Consistorio ad id munus deputantur illorum Ministri. Longe minus successione jurisdictionis ab Apostolis ductam ostentare possunt Lutherani. Quamquam enim Lutheri, illicque primum adherentes aliqui, ordinati fuissent in Ecclesia Romana; ac forte etiam prædicandi jurisdictionem & auctoritatem obtinissent, antequam per nefariam schisma a nobis præcisi essent; Ex quo tamen schisma fecere, omni jurisdictione exuti sunt ab Ecclesia; eamque idcirco in successores suos transmittere nequiverunt, quam amplius non habuerunt.

Reponunt illi: Ecclesiam Romanam jurisdictionem Luthero antea datam revocare subinde nequivisse, propterea quod illa in infinitas hæreses lapsa esset, Christianique Ecclesia esse desisset.

Serry Tom. IV.

At si sic est, nec jurisdictionem dare Luthero antea potuit, dum illum primum Sacerdotio initiaverat; cum jam tunc in illas, quas fingunt hæreses incidisset, veraque Christi Ecclesia jam tunc esse desisset: atque itaque quocumque res cadat, successione jurisdictionis nullam habere comminatur Lutherani.

Successione jurisdictionis dico: quod enim spectat successione ordinis præsertim Episcopalis, dubium esse potest, num extet illa penes Lutheranos aliquos Confessionis Anglicanæ, apud quos etiam Episcopi consecrantur. Si enim nullam apud eos interrupta esset successio primorum quorundam suorum Episcoporum, qui valide prius apud nos consecrati in illorum Sectam apostatando declinarunt, suosque in Secta sua successores servato alias debito ritu, consecraverunt, successione characteris, & ordinis tenerent hodierni Episcopi Anglicani; cum in ipsa quoque hæretica Secta character Episcopalis antea susceptus, servetur intactus. Verum ab annis amplius centum, interruptam esse primorum illorum Episcoporum successione ostendunt Theologi nostri, qui hoc de argumento in Gallis scripsere nuper ad Corrojerii audacem lucubrationem resellendam.

Utrumque tamen de illarum Ordinationum ab iis Anglicanis Episcopis hodie factarum validitate, aut invaliditate statuat, satis est, eas ab Hæreticis & Schismaticis Episcopis factas esse, ut nullam saltem jurisdictionem Ordinis largiri possint, ut & ipsimet Ordinatos Episcopi nullam habent. Atque ita nullam jurisdictionis successione habere convincuntur in præsentia Lutherani etiam Confessionis Anglicanæ.

Iis pressi momentis Lutherani & Calvinistæ bene multi, reponunt, jurisdictionem seu missionem ordinariam non habuisse Lutherum atque Calvinum; habuisse tamen jurisdictionem & missionem extraordinariam contendunt; quæ a Deo ipso in casibus extraordinariis aliquando datur, nulla accedente Ecclesie concessione.

Lepide vero atque festivo? Do ego Missionem extraordinariam dari aliquando posse, at Missio extraordinaria signis mirabilibus, ac prodigiis probari debet. Christus enim ipse a Deo Patre extraordinarie missus, sui ipsius missionem miraculis confirmandam existimavit, adeo ut Joann. 15. dixerit: *Si opera non fecerint, in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non habent; Et cap. 10. v. 38. Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.*

Cui addere ego, Patres hoc ipso momento usos esse, ut ætatis suæ Novatorum Missionem, uti nullam exploderent. Hinc D. Pacianus in *Epistola 3. Contra Novatianos: Novatianos linguis loquuntur est? Prophetarum? Suscitare mortuos potuit? Et Tertull. lib. de Præscr. cap. 30. Probent se novos Apostolos esse: dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum. Sic enim Apostolos solet facere, dare illis præterea virtutem eadem signa edendi, quæ & ipse. Volo igitur & eorum virtutes proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, quæ Apostolos in peruersum emulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt.*

Inquiet fortassis aliqui: tam subitam, tamque repentinam Lutheranismi, & Calvinismi propagationem prodigii loco habendam esse, quia divina Lutheri, & Calvini Missio probata est. Quandoquidem Patres ipsi tam subitam Christianæ Religionis propagationem ab Apostolis factam, instar ingentis miraculi habent.

Q 9

Apa-

Apagē nugaces argutationes? Ideo enim Patres tam subitam Christianæ Religionis propagationem ab Apostolis factam, instar ingentis miraculi habent; quia hujusmodi propagatio stabilita fuit martyrum innumerabilium patientia, inertium ac simplicium hominum prædicatione. Cum e contra Lutheranismus, & Calvinismus Principum auctoritate, vi & armis suam propagationem obtinuerit.

Reponunt alii, solam veritatis prædicationem extraordinariæ Missionis notam esse etiam absque Miraculis: atque ita, cum vera Lutherus, & Calvinus prædicaverint, a Deo missi censendi sunt.

Quasi vero? præterquamquod falso supponunt, vera illos prædicasse: quod probandum illis esset: id quoque falsissimum est, solam veritatis prædicationem, divinæ Missionis Notam esse.

Iis depulsis munimentis, alii alio confugiunt: Privati quandoque fideles, ajunt isti, laici, nulla missione accepta Evangelium nunciaverunt, ut divinum mandatum implerent, quo *mandavit Deus unicuique de proximo suo*: hinc *Act. 8. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerusalem, & omnes dispersi sunt per Regionem Judææ, & Samariam, præter Apostolos...* Igitur qui dispersi erant pertransibant evangelizantes Verbum Dei.

Act. 18. Aquila & Priscilla laici docebant Apollinem: ex quibus inferunt, quemlibet Ecclesiastico ministerio, absque ulla missione fungi posse.

Quibus tamen respondeo, præter Apostolos fuisse quoque discipulos, qui legitima Missionis donati erant. Secundo: alia est prædicatione privata ex charitatis officio, alia publica & solemnitas, ac velut ex Cathedra magistrali, cum regimine animarum, & Sacramentorum Administratione, & arrogato Pastoris officio. Qui porro ex charitatis officio docent, non est cur externa, seu vocatione, seu missione donati sint, quæ tamen necessaria est, ut sibi cathedram erigant, populum fidelem regant, ut eum Sacramentis pascant, animarumque Pastores fiant. Quod vero ad Aquilam & Priscillam pertinet, dico, docuisse hos quidem ex motivo charitatis, non vero ex cathedra magistrali, ac sibi arrogato pastoris officio.

Et en quod nihil ex hoc contra nos Adversarii extendere possunt.

Atque hæc de Notis Ecclesiæ sat multa sint dicta. Quoniam vero solent hic Theologi aliam non incuriosam questionem, sive appendicem adungere, num scilicet miracula sint signa certa Religionis, ideo in sequentibus, disputabimus.

PRÆLECTIO XVI.

Utrum Miracula signa certa sint, invidiæque probatione Religionis atque Doctrinæ, in cujus confirmationem, & probationem eduntur?

Lis nobis est hodie cum Lutheranis, & Calvinianis, qui cum nulla in secta sua patrari miracula videant, multa vero in Ecclesia Romana atque Catholica in dies fieri non ignorent, eo petulantia, atque audaciæ venere, ut, non esse Miracula veræ Religionis atque doctrinæ signa demonstrantia, contendant.

Quid illos ad tam absurdam impiamque Sententiam animo imbibendam induxerit, dicam ingenue: Nec vereos ne ad invidiam illorum loqui videar. Rem enim apertam, Scriptorum Protestantium testimonio constat. Scribunt enim vero plerique Protestantes, Lutherum atque Cal-

vinum initio quidem Reformationis suæ, ultro citroque novisse, Miracula veræ Religionis, atque Doctrinæ argumenta esse, plane demonstrantia: adeo ut & ipsi Miracula in suæ Reformationis confirmationem patrare tentarint: Sed cum id illis male cessisset, illorumque fraudes, fictaque miracula delusa fuissent, mutato de repente consilio, non esse miracula veræ Religionis argumenta, proterve contenderunt ac propugnarunt.

Et certe Joannes Cochleus in *Lutheranæ Reformationis Historia* memoriam prodidit, Lutherum anno 1523. omni qua potuit arte tentasse, miscellum quemdam, Nefinum nomine, aquis suffocatum, atque extinctum fuscitare, conatu tamen irrito, quamquam Deos omnes Superosque in auxilium advocasset.

Staphilus etiam in *absoluta Responsione contra Jacobum Smidelinum* refert, Lutherum e corpore viri obsessi Dæmonem fugare tentasse; tantumque abfuisse, ut res illi prospere cederet, ut potius in Lutherum Exorcistam irruerit Dæmoniacus, eumdemque male mulcavit.

Bolserus in *vita Calvini* cap. 3. refert, Calvinum inaudita fraude miscellum quemdam *Bruleum* nomine mercede conductum, ut sese mortuum fingeret, feretroque componeret, quem ille fuscitare simularet, adstantesque ficto miraculo luderet. At qui se mortuum fixerat, re ipsa mortuus, atque extinctus de repente inventus est. Testis de visu Bolserus ipsemet fuit, qui & idcirco Calvinianam, Sectam, quam antea professus fuerat ejuravit, Ecclesiæque Catholicæ adjunctus est.

Quin etiam Desiderius Erasimus, vir lubricæ fidei, quique ova fovisse dicitur, quæ postmodum Lutherus exclusit, in *Collatione de libero arbitrio* sententiam hanc de gravi supercilio fudit, *Nullus eorum adhuc existit, qui vel equum claudum sanare potuerit.*

En quæ causa Lutheranis, & Calvinianis extiterit, ut qui antea Miracula veræ Religionis argumenta demonstrantia esse bene noverant; non ita tamen esse postmodum propugnarint.

Jam vero, (quod præsentis Institutum nostri est) quam inique, quam stolide in eam tandem sententiam venerint Lutherani, & Calviniani, usque adeo planum est, ut otiosus arguatoris videatur esse, velle ea de re prolixius disputare.

Si enim, ut illi volunt, non sunt patrata Miracula veræ Religionis, in cujus confirmationem eduntur, argumenta demonstrantia; quid quæso Christus D. verum se Deum esse, verumque Messiam Mortalibus adpromissum patratis Miraculis comprobavit; ut diceret *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, *Joan. 15.*

Quid Christus idem Discipulis Joannis, tam sollicite quærentibus: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* eum se talem esse probavit, renunciatis Joanni miraculis antea editis: *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis, Luca 7.* Quid Nicodemus Christi divinitatem, non alio luculentiori argumento, quam ex patratis ab ipso miraculis novit, ut diceret: *Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo, Joan. 3.*

Quid Paulus Apostolatus suo auctoritatem conciliavit signis ac miraculis, ut diceret, *Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus, 2. Corinth. 12.*

Cur demum Apostolorum prædicatione confirmata a Deo est, sequentibus signis, hoc est portentis, atque miraculis, si non sunt miracula, atque portentia veræ Religionis certa signa, & probationes invictæ.

Certe

Certe cum Miraculum, insigne aliquod opus sit, superans omnem naturæ vim; quod idcirco sola Dei virtute patrari potest; consequens omnino est, Miraculum omne a Deo ipso patrari, qui sua veluti testimonio id omne confirmat, suæ cujus probationem edunt. Deus autem errori, aut cuivis alteri fallitati, testimonium præstare nequit.

Age tamen videamus, quid Lutheranos, & Calvinianos in tam impiam stultamque sententiam induxerit, ut Miracula fidei, ac Religionis, in cujus confirmationem eduntur, argumenta demonstrantia esse negent.

Horum momenta in summam collegit novissimus Calvinianus Sectæ Minister apud Helvetios, Jacobus Piceninus in sua *Reformationis Apologia* part. 1. cap. 1. de signis veræ Religionis.

1. Quod patratio Miraculorum gratia gratis data sit; quæ perinde potest etiam hominibus perditissimis a Deo conferri.

2. Quod plerique Gentiles miracula patrassæ legantur, ut de Vespasiano Imperatore, nonnullique Vestalibus fertur.

3. Quod priorum sæculorum hæretici nonnulli, atque in iis maxime Donatistæ, miracula nonnulla patrassæ dicantur a D. Augustino *lib. de Unit. Eccles. cap. 19.* ubi pluribus ostendit litem inter Catholicos & Hæreticos ex miraculis non esse dirimendam, cum utrobique inveniri possint; quin in eo postquam dixit non esse credendum miraculis Donatistarum, addit; nec fidem esse adhibendam miraculis Catholicorum, quia *quæcumque*, ut ipse ait, *italia in Catholica fiunt, adeo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt; non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt; & Tractatu 13. in Joann. ubi per contemptum eos Mirabiliorum vocat.*

4. Quod Antichristus ipse, Christo ipse testificante, ingentia signa atque miracula sit patraturus.

Non est tamen difficile utrumque refellere. Ad id ergo, quod primo loco positum est, reponi potest: Miracula ex eo, quod sint gratia gratis datæ, posse absolute ab impiis etiam fieri, non posse tamen ab iis fieri in confirmationem erroris, falsæque religionis, sed ut ut maxime in confirmationem alicujus veritatis, ad quam prædicandam Deus etiam pravo Ministro uti potest.

Quod ad secundum pertinet, dico, miracula quæ a nonnullis gentilibus patrata narrantur, aut falsa omnia fuisse, aut certe non ad confirmationem & approbationem gentilitatis fuisse patrata, sed ad vindicationem alicujus virtutis, quam gentiles illi coluerunt. Falsa inquam, quia cum nativam hominis virtutem non superarent, & occulta Dæmonum virtute peracta fuissent, miracula ab imprudentibus fuit reputata; aut certe si vera fuere miracula, non ad confirmationem gentilitatis peracta sunt, sed ad alicujus virtutis pro-

bationem: Quod utrumque maxime patuit in iis miraculis, quæ a nonnullis Virginibus Vestalibus patrata dicuntur. *Valerius Maximus lib. 8. de iudiciis publicis.* Fertur enim earum aliquas de violata Virginitate accusatas, Virginitatem probasse suam: alteram quidem aquam cribro contentam proferendo; alteram Navem ingentem cingulo trahendo. Quæ si forte vera dicuntur esse, equis non videt in probationem puritatis, quam profitebantur, non in confirmationem gentilitatis, qua involuta erant.

Illud porro, quod dicitur ab Imperatore Vespasiano patratum miraculum, si Tacito credendum nobis est, verum non fuit, cum cæcus vere non fuerit, qui lumen ab ipso recepit; idque, ut observat Cornelius Tacitus *lib. 4. Historiarum n. 81.* asseruerunt tunc temporis Medici. Ad illud vero, quod refertur de miraculis Donatistarum: Vult tantum eo primo loco Augustinus, *libro scilicet de Unitate Ecclesie cap. 19.* miracula Scripturis Sacris præponenda non esse. Cum enim opponerent Donatistæ, & Præfatum suorum sanctitatem, & Concilia, & miracula bene multa apud suos patrata; ne prolixior esset disputatio, si Catholicorum sanctitatem cum Hæreticorum hypocrisi, si Catholicas Synodos cum Hæreticis Conciliabulis, uno verbo, si illorum miracula cum horum præfatis, aut prodigiis conferre voluisset, quamquam aliis in locis hæc de re solus differuisset, ideoque ut brevius eam disputationem expediret Scripturimus Doctor, provocat Donatistas ad Scripturam oracula, ut ab iis longe apertius convincerentur.

Quin etiam illud alterum, quod ex eo Augustini loco, momentum petunt, ubi *Mirabiliorum* Donatistas appellat, plenum insulstatis est; nam per contemptum in eum modo loquebatur Sanctissimus Doctor, ob eas forte occultas visiones, seu revelationes, quas Donatistæ nulla habita probatione, prolataque testificatione a se habita fingebant. Liqueat hoc maxime ex eo quod addit citato loco Augustinus. *Nemo ergo, inquit, vobis fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum; & Donatus oravit, & respondit ei Deus de Cælo.* Nam, inquit, aut falluntur, aut fallunt.

Illud idem dicendum de iis ingentibus signis, atque miraculis, quæ ab Antichristo patratura, Christo testificante, fabulantur. Nam & illa falsa erunt, atque mendacia opere Dæmonum facta, ut monet Apostolus *2. ad Thesalonicones 2. vers. 8.* ubi de Antichristo sic loquitur. *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum, cujus est adventus secundum operationem Satanae, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt.*

At satis, ut arbitror, de Ecclesiæ Notis disputavimus, eisdemque soli Romanæ Ecclesiæ, minime Lutheranz, & Calvinianæ Sectæ pertinere demonstravimus.